



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De fiducia in Deo habenda tempore angustiaë. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XI.

De fiducia in Deo habenda tempore angustia.

1. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Nemo vanè exultet de bonis temporalibus: nemo de suis amicis & cognatis nimis confidat: quia omnia incerta sunt, & plena periculis. Qui autem confidit in Domino, & in necessitate ad eum clamauerit, non deseretur ab eo, in quacumque tribulatione fuerit. Pax magna bene agentis, bona loquenti, nemini nocenti, ab omni via mala & iniqua cogitatione se custodienti. Claude ostium domus tuæ, & eris in pace.

Psal. 36.

2. Cadit facillimè, qui non proponit quotidie aliquid boni in corde, tanquam scutum contra iectum Satanz. Multi, cum eis non succedit prosperè, desistunt orare & repugnare. Attamen sine labore & certamine virtus non acquiritur, nec sine cautione custoditur. Vagus & leuis moribus, horret disciplinam & cellam, sicut auis capturam. Non desperes grauius tentatus, aut duriter correptus, aut derisus, aut confusus, aut despectus: sed memento, quod iniquitas tua despici & castigari iuste meretur. Sustine patienter, & loquere confidenter: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* In tentatione & tribulatione, homo addiscit Deum sibi esse magis necessarium, propter suam indigentiam & defectuum grauitatem. Fatuus & infidelis est seruus, qui de bonis domini sui vult superbire, & alios despiciere.

Psal. 117.

3. Qui conseruos suos despicit, & se meliorem reputat, Deum & omnes sanctos offendit. Hic error maximè in nobis oritur, quia humiles non sumus, nec proprios defectus attendimus, quos semper attendere & despectere debemus. Vnusquisque sufficiens onus sibi ipsi est. Quid ergo prodest quòd alienis te ingeris; & plus tollis, quam portare vales? Ideo interdum homo apertè cadit aut errat, aut aliquid negligit: vt confusus coram alijs se humiliet, compati discat, erranti subueniat, & apud se casu proprio doctus dicat: Hic homo est: non angelus: sicut mihi accidit, sic & illi contigit. Fratres sumus: Ego malè, ipse fortè bene preterdit. Qui nunquam cadit nec errat, solus Deus est. Quare rides de lapsu alterius? Qui stas, vide ne cadas. Deride lapsum tuum. *Aperta confusio, saepe est extinctio vanæ gloriæ.*

1. Cor. 10.

C A.